

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Gebri Arabis Chimia**

**Geber**

**Lugduni Batavorum, 1668**

De extinctione ignitorum. Cap. XXXIII

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

viride fuscum in superficie floret cœlestino adnixtum turbido ; & hujus est Venus. Quoddam vero album fuscum ; Et hujus generis Saturnus comperitur. Quoddam vero album clarum ; & hujus est Jupiter. Quia igitur maximè perfectum corpus minime floret aut nihil , si quid tardissimo temporis floret spacio : Et Jupiter quidem & minime & tardissime inter diminuta à perfectionis complemento corpora gummositatem suam floret. Ideo consideramus per hujus examen magisterii , Jovem maxime perfectioni approximare in opere majoris ordinis. Per hoc igitur examen perquiri poterit , in quo pertractatum temperamenti genere consistat corpus , si recte horum consideraveris ordinem , quæ nar-  
ravimus in hoc capitulo: Sin autem , tuæ inputa temeritatis insipientiæ.

*De extinctione ignitorum.*

C A P. XXXIII.

**I**N extinctionis igitur examine narrationem adducamus totalem. Est tamen multiplex illius experientia, in qua cognoscitur utrum in perfectione magisterium consistat. Primum igitur si ignitum corpus in liquore extingatur , & lunare quidem album non fiat , & solare citrinum fulgidum : sed in alienum mutetur colorem , non

non est in complemento alteratio magisterii, ut si quidem in reiteratione suæ ignitionis & extinctionionis in aquis salium aut aluminum cujuscunque generis administratione creatis, scoriam nigredini affinem in sui superficie prætenderit, aut extinctionione illius in sulphuribus, & ab extinctionione ignitionis reiteratione multa evanuerit: aut nigredine fœda se infecerit, aut omnino per mallei compulsionem se confregerit: fallax est operis artificium. Aut si ex salis ammoniaci, & viridis æris, & puerilis urinæ mixtionis cementatione, aut in natura consimilium & ad ignitionem positum, & post ignitionem extinctionionem sulphuris, ad extensionem similiter lunare quidem vel solare ex toto colorem amiserit proprium; aut scoriam creaverit, in corruptione constat corpus adhuc permanere sophistica. Unam tamen generaliter tibi tradimus regulam certam: quoniam tam quidem in dictis, quam à nobis dicendis examinibus, si quid ex perfectionis differentiis alteratum commutaverit corpus, ponderis videlicet aut coloris, non recte, sed fantastice indagavit artifex opus: quod non peculiosum, sed perditionis est potius.

De